

# DOCUMENTS

**Document 1** ASF, *Consulte e Pratiche*. In Alessandro Gherardi. *Le consulte della repubblica fiorentina dall'anno MCCLXXX al MCCXCVIII.* 2 vols. Florence, 1896 – 98. The first discussions of the foundation of towns in the Florentine councils.

## ABOUT THE TOWN OF PIETRASANTA

[26 February 1284 / 5; Gherardi, I, p. 170] Item, quod officiales elegantur, et eis detur pro Comuni peccunia opportuna, pro complemento castri Pietresancte, ita quod ad honorem et utilitatem Comunis compleatur ipsum castrum.

[15 May 1285; Gherardi, I, p. 217] Item, si videtur dicto Consilio utile fore pro Comuni Florentie teneri Consilium super expensis faciendis ad presens pro Comuni usque in quantitatem librarum V [hundred] in fundando et faciendo muris Pietre Sancte; et hoc cum dicatur quod de refectione dicte terre obveniant honor commodum et utilitas Comuni Florentie, et maxime pro copia grani et bladi habenda de partibus Romandiole.

[3 August 1285; Gherardi, I, p. 272] Item, si videtur dicto Consilio utile fore pro Comuni Florentie teneri Consilium super expensa V [hundred] librarum in refec-  
tione Pietre Sancte, scilicet in murando ipsum castrum, et in faciendo palatum Comunis ibidem. Dominus Oddo Altoviti consuluit secundum propositiones pre-dictas.

[23 September 1293; Gherardi, II, p. 321] Primo videlicet, quod solvatur et solvi possit, de pecunia et avere Comunis Florentie et per Camerarios ipsius Comunis presentes vel futuros, ser Tinaccio magistro et mensuratori et Banducio Rustichi, superstibus operis castri de Pietrasanta, pro complendis muris dicti castri, libras CL florenorum parvorum: quam pecunie quantitatem, ad ipsos pervenientam

dicta occasione, dicti Superstites convertere et expendere possint eisque liceat absque eorum preiudicio in dicto opere et eius occasione, secundum quod eisdem videbitur fore utilius pro Comuni.

Item, quod habentes casolaria in dicto castro, qui nondum edificaverunt ibi domus, compellantur per dominum Capitaneum et Defensorem hedificare et construere domos super eorum casolaribus in dicto castro; secundum quod facere promisserunt et tenentur.

[29 September 1293; Gherardi, II, p. 369] Item, quod habentes casolaria in castro Pietresancte, qui nondum hedificaverunt domos super eorum casolariis, secundum quod facere promiserunt, compelantur per dominum Capitaneum.

#### ABOUT THE ARNO VALLEY TOWNS

[13 August 1285; Gherardi, I, pp. 276 – 277] In Consilio speciali domini Defensoris et Capitanei et Capitudinum xii maiorum Artium et aliorum Sapientum ad hoc vocatorum, in presentia Priorum, proposuit dominus Capitaneus de facto Vallis Arni et Casuberti, de exbannitis qui conversantur ibidem. Narratis hiis que dicta sunt Prioribus, de una terra vel duabus faciendis, in plano, in quibus morentur, pro obviando malitiis exbannitorum: item auditis hiis que dicta sunt in presenti Consilio per dominum Bonacursum Lisei, de processu facto contra d. Bonacursum predictum, scilicet de excommunicatione, narrata causa quare hoc factum est.

Manectus Tinioci consuluit, quod Potestas, Capitaneus et Piores, cum illo Consilio quod habere voluerint, habeant bayliam providendi et ordinandi de duabus terris faciendis et fieri faciendis, et de cogendo homines contrate, quos voluerint, venire ad habitandum et habitare; et omnia possint providere et facere in dictis terris faciendis, et de loco, secundum quod viderint convenire.

Manellus de Manellis consuluit, quod negocium Vallis Arni differatur ad presens, sed ex militibus stipendiariis mittantur Fighinum. In aliis acquievit dicto predicti Sapientis.

Dominus Symon de Salto consuluit, quod aliqua novitas non fiat de aliqua terra facienda in Casuberti, sed Capitaneus provideat de procedendo contra exbannitos et condempnatos.

Rubeus Fornarii consuluit, quod procedatur ad duas terras faciendas et fieri faciendas in partibus Casuberti, in plano, sine magna fortilicia, in quibus homines contrate debeant habitare.

Dominus Iacobus de Certaldo . . . De facto autem terre seu terrarum fiendarum in Casuberti, consuluit quod predicta reducantur ad multa et diversa Consilia, magnatum per se, et artificum per se, et magnatum et artificum insimul; ita quod predicta non recipient initium in presenti Consilio. Et si contingit fieri, fiant terre in tali plano quod not sit in magna fortilicia.

Factis partitis per dominum Defensorem et Capitaneum, placuit secundum dictum domini Iacobi predicti super facto Vallis Arni.

[25 August 1285; Gherardi, 1, pp. 281 – 282] Dominus Gherardus de Vicedominis . . . consuluit, quod provideatur et ordinetur de una terra facienda in Casuberti, in qua morentur homines contrate societatis. Item, quod procedatur ad exactionem librarum detemptarum, secundum provisionem Priorum, que locum habeant tantum in civitate Florentie. De viis et pontibus faciendis, procedatur secundum petitiones; et fiant expensis plebatum contrate, et qui soliti sunt facere et aptare stratas predictas. Et illis per quorum terras mitteretur via predicta satisfiat iuxta extimationem.

Dominis Adimari de Adimaris consuluit . . . quod terra non fiat in Valle Arni: tamen quelibet Comunitas teneatur securare stratam.

Dominus Aldobrandinus Melliorelli . . . consuluit quod una vel plures terre fiant in Casuberti; dummodo tales ponantur qui debeant ponere ad habitandum homines cuiusque conditionis, et dummodo aliquis ex magnatibus non possit ibidem habitare, vel domum vel casolare habere. Et ad hoc ponantur boni homines, ita quod non inspicerent aliquam specialitatem. Et non sint murate.

Item, de terris Casuberti, placuit duabus partibus quod procedatur ad unam vel duas terras faciendas in plano, non muratas et non in magna fortilicia. Item, quod in ipsis vel ipsa terra nullus ex magnatibus civitatis vel comitatus possit habitare vel domum vel casolare habere; et ad predicta facienda eligantur boni homines et legales qui provideant et faciant ita quod contrate homines ponantur in dictis terris, non inspiciendo ad aliquam specialitatem.

[28 August 1285; Gherardi, 1, pp. 284 – 285] Item, super facto terre fiende in Valle Arni, pro resistendo maliciis exbannitorum.

Dominus Albiczus Corbinelli . . . consuluit, quod non procedatur ad terram vel terras faciendas in partibus Vallis Arni modo aliquo, nec ad proposita super hoc.

Iohannes del Brodaio . . . consuluit, quod terre fiant in plano, ut dictum est, in partibus Vallis Arni, in tali loco quod se revidere possint cum Fighino et Montevarchi; ad hoc ut aliisque expense ibidem non fiant pro Comuni, nisi forte in foveis cavandis.

Franciscus Torselli consuluit . . . quod supersedeatur de dicta terra facienda in Valle Arni.

Manectus Tinioci consuluit . . . super facto Vallis Arni, quod ubi videbitur Potestati, Capitaneo et Prioribus, cum illis quos secum habuerint, fiant terre secundum quod eisdem videbitur; que non sint in magna fortilicia: dummodo aliquis ex magnatibus vel potentibus non possit ibidem habitare vel domum vel casolare habere.

Dominus Locutus de Alleis consuluit . . . quod in Potestate, Capitaneo et

Prioribus remaneat de habendo Consilium super facto terrarum Vallis Arni, vel de non faciendo eas, secundum quod eisdem videbitur.

Item, quod provideatur per Potestatem, Capitaneum et Piores, et alios Sapientes quos et quot habere voluerint, super facto dictarum terrarum fiendarum an non; et super hoc premeditate provideatur, et secundum quod eisdem videbitur, de ipsis faciendis an non.

[31 August 1285; Gherardi, I, pp. 289 – 290] In Consilio quam plurium Sapientum militum congregato coram Potestate, Capitaneo et Prioribus, occasione providendi super facto Casuberti, scilicet de terris faciendis an non, vel de providendo super predictis: naratis hiis que facta sunt super hoc.

Presentibus testibus domino Alberto milite Capitanei et ser Lapo Cienghetti.

Dominus Talanus de la Tosa consuluit, quod due terre fiant in partibus Vallis Arni et Casuberti, secundum quod videbitur officialibus ad hoc ponendis per Potestatem, Capitaneum et Piores, et secundum quod per alia Consilia firmatum fuit.

Dominus Gualteroctus de Bardis consuluit, quod nichil fiat de predictis terris, sed per Potestatem, Capitaneum et Piores inveniatur via secundum quod viderint convenire ad hoc ut strata sit secura.

Placuit duabus partibus quod terre non fiant in Casuberti. [The vote was six for, twelve against.]

**Document 2** ASF *Provv.*, 9, fols. 136r – 137r, 26 January 1298 / 9. Legislation for the foundation of towns in the upper Arno valley.

[In left margin: Tres terre fiant in partibus Vallis Arni superioris, due in planicie de Casuberti, alia iuxta burgum Casalberti.]

Pro honore et iurisdictione Comunis Florentie amplianda et melius conservanda per dominos priores artium et vexilliferum iustitie populi Florentie prehabita in hiis diligenti examinatione et quam [plurium] sapientum virorum consilio nec non inter eos secundum formam statutorum secreto et solemniter scriptinio ad pissides et palloctas celebrato et facto, eorum officii auctoritate et vigore provisum deliberatum et firmatum fuit quod pro iamdicto Comuni Florentie et ad ipsius Comunis laudabile incrementum // fol. 136v // tres terre seu communites de novo construant hedificantur et fiant et popullentur in partibus vallis Arni, videlicet due ex eis in planicie et partibus de Casuberti, tertia vero in burgo seu juxta burgum Plani Alberti, in illis locis et in ea latitudine et longitudine et eo modo et forma quibus placuerit et videbitur et prout et secundum quod placuerit et videbitur dominis prioribus artium et vexillifero iustitie populi florentini, tam presentibus

quam futuris. Que quidem terre proprio nomine nominentur, ac etiam muris et foveis et aliis fortitiis, hediffitiis, domibus et aliis opportunis munitionibus he-difficentur construantur et fiant et prout et secundum quod de ipsorum dominorum priorum et vexilliferi provisione et voluntate processerit et mandato. Ipsarum vero terrarum et cuiuslibet earum habitatores et perpetui terrazzani sint illi quos et quot ipsi domini priores et vexillifer voluerint et de quibus et in quantitate et numero quibus duxerint providendum. Qui etiam habitatores et terrazzani per quoscumque rectores seu officiales dicti Comunis ad hoc deputandos, realiter et personaliter, sicut expediens fuerit, ad ipsas terras ut predictur construendas hedifficandas et faciendas et fieri et construi, hedifficari et murari et aliis fortitiis murari faciendas, nec non ad domos et habitationes eorum ibidem construendas et hedifficandas prout et sicut pro ipsarum terrarum et cuiuslibet earum hedifficatione, constructione et popullatione expedire videbitur effectualiter compellantur. Illi igitur qui, ut iam dictum est, fuerint habitatores et terrazzani alicuius ipsarum terrarum, ab omnibus et singulis libris et prestantiis decetero pro Comune Florentie imponendis et quomodocumque et quacumque de causa exigendis, sint et esse debeant liberi et immunes pro illud tempus quod ipsi iamdicti domini priores et vexillifer duxerint providendi, dummodo tempus et terminus ipsius immunitatis et provisionis super ea fiende decem annorum tempus et spatium non excedat. Et interim, ipsa provisione et immunitate durante, ipsi iamdicti terrazzani et habitatores aliquo modo iure vel causa non teneantur nec per aliquem rectorem vel officialem dicti Comunis Florentii presentium vel futurorum vel per aliqua aliam personam cogantur vel quomodolibet astringantur ad ipsarum librarum seu prestantiarum solutionem seu mutuationem faciendam. Illi namque quorum sunt vel erunt terrena seu hediffitis sita in locis in quibus provisum et deliberatum fuerit ipsas terras, ut dictum est, construi hedifficari et fieri debere sicut expediens fuerit, cogantur et cogi possint et debeant ad ipsa terrena et hediffitia concedenda et vendenda pro ipsarum terrarum constructione et hedifficatione, ut predictur, facienda, pro illo pretio seu pretiis quo vel quibus ipsi domini priores et vexillifer vel illi quos ad hoc eligerint et deputaverint duxerint providendi. Superstites vero officiales quos et quot ipsi domini priores et vexillifer, tam presentes quam futuri, voluerint per eos eligantur et deputentur et eligi et deputari possint et debeant quando et quotiens et pro illo tempore et cum illo salario ac etiam licentia bailia et officio, quibus et prout et sicut eisdem prioribus et vexillifer placuerit et videbitur convenire ad predicta omnia et singula et pro predictis omnibus et singulis faciendis et fieri faciendis et executioni mandandis pro Comuni iamdicto. Et insuper quod ipsi iamdicti domini priores et vexillifer, tam presentes quam futuri, possint eisque liceat, in predictis omnibus et singulis et circa ea, providere ordinare firmare et facere et fieri facere omnia et singola que eisdem videbitur expedire seu utilia fore in predictis et pro predictis omnibus

// fol. 137r // et quolibet predictorum faciendis observandis et fieri faciendis et ut predicitur executioni mandandis. Ac etiam in hiis, de hiis et super hiis omnibus et singulis ipsi domini priores et vexillifer, tam presentes qua futuri, possint eisque liceat in alios quos et quot voluerint commissionem facere et officium, licentiam et bailiam aliis concedere et committere et exhibere quando et quotiens et prout et sicut de eorum processerit voluntate. Dum tamen omnia et singula suprascripta fiant et fieri debeant sumptibus et expensis hominum et personarum, qui et que in ipsis terris vel aliqua earum, ut supra dicitur, venerint ad habitandum et ipsarum terrarum seu alicuius earum fuerint seu esse debebunt terrazzani et habitatores. Que idem expense et quantitates pecuniarum predictorum occasionibus necessarie, eisdem imponantur et inter eos sortiantur et dividantur et ab eisdem totaliter exigantur per officiales ad predicta, ut supra dicitur, eligendos et deputandos prout et secundum quod de ipsorum officialium voluntate processerit et mandato. Providentes insuper et firmantes quod nullus de magnatibus civitatis vel comitatus Florentie possit seu audeat vel presummat in ipsis terris vel aliqua earum, aliquo modo, iure vel causa, per se vel alium, emere seu alio quocumque titulo, iure vel causa seu modo, acquirere vel habere seu ad pensionem conducere vel tenere aliquam domum, terrenum seu casolare, ac etiam decetero, extra aliquam ipsarum terrarum infra seu prope duo miliaria aliquam fortitudinem seu domum construere, hedificare et facere seu hedificari et fieri facere aliquo modo, iure vel causa, non obstantibus aliquibus statutis, ordinamentis seu consiliorum reformationibus, tam editis quam edendis, in predictis vel aliquo predictorum quomodo-libet contradicentibus vel repugnantibus.

**Document 3** ASF *Provv.*, 12, fols. 206r and v, 207v, 29 April 1306.  
Legislation for the foundation of two towns in the Apennines.

[In margin: Super quampluribus ordinamentis, pro duabus terris in Muccello et ultra alpes faciendis et pro obsidione Castri Montis Accianichi et pro favore citatorum tertia propositio.]

In nomine domini amen. Ad reprimendum effrenandum superbiam Ubaldinorum et aliorum de Muccello et de ultra alpes, qui Comuni et populo Florentie rebellaverunt castrum Montis Accianichi et alias fortitias et guerram faciunt et non hactenus fecerunt dicto Comuni et populo Florentie, non habentes Deum pre oculis et non reminiscendo quod nati sunt Comuni et populo predicto, et que hactenus Comune Florentie misericorditer remisit eisdem et eorum antecessoribus, ut eorum vires radicitus enerventur provida deliberatione provisum et ordinatum est quod pro Comuni Florentie fiant due terre, una videlicet in Muccello,

alia vero ultra alpes, ubi et sicut videbitur offitrialibus ad predicta ponendis per dominos priores artium et vexilliferum iustitie presentes vel futuros. Item quod in dictis terris cogantur redire et domos facere et habitare homines et persone locorum qui ipsis offitrialibus videbuntur. Item quod omnes et singuli facientes domum et habitantes in dictis terris vel aliqua earum, sint liberi et immunes ab omnibus libris et factionibus realibus Comunis Florenties per decem annos, ita quod per offitiales Comunis Florentie presentes vel futuros nullatenus inquietentur dictis occasionibus realiter vel personaliter. Item quod omnes et singuli qui in dictis terris vel aliqua earum domum fecerint et habitaverint cum eorum familiis per decennium saltem per duas partes cuiuslibet anni ipsius decennii, sint et intelligantur cum effectu esse ipsi et eorum descententes liberi et franchi ab omni vinculo et iugo servitutis et fidelitatis et omagii et recommendationis et anghariis et per anghariis et cuiuslibet annue prestationis et ab omni alio vinculo cuiuscumque condictionis exsistat. Hoc tamen locum non habeat in illis que stabunt in castro Montis Accianichi per tres dies postquam positus fuerit campus circha dictum castrum, nec in eorum ascendentibus et descendantibus. Item quod in dictis terris // fol. 206v // vel aliqua earum vel prope dictas terras vel earum aliquam, per unum miliare nullus de magnatibus et nullus de domo de Salto, plebatus sancti Johannis Maioris, et nullus de domo de Burgensibus sive de Ripaiuolis, et nullus de domo de Cingnano de Mucello possit vel audeat, per se vel alium, nec sit ei licitum habere vel tenere domum aliquam propriam vel conductam vel gratis concessam, vel aliquod immobile emere habere vel adquirire iure legati sive institutionis vel quoconque alio titulo vel etiam pro debitis vel occasione debitorum contractorum hactenus vel que in futurum contraherentur per aliquem, qui in aliqua dictarum terrarum hedifficaverit vel hedifficari fecerit vel ibi steterit. Item quod nullus de magnatibus et nullus de dictis tribus domibus de Mucello superius nominatis, possit vel ei liceat prope aliquam dictarum terrarum per unum miliare, hedifficare vel facere hedifficari aliquod hediffitum, et si habet vel haberet aliquod hediffitum infra duo miliaria, illud debeat omnino vendere infra duos menses a die inceptionis hedificationis terre, vere et non fititie alicui popolari vel universitati ipsius terre, cui proximus esset hediffitum, pro eo pretio quod deliberatum esset per ipsos offitiales, sub pena librarum quingentiarum florenorum parvorum. Et si non vendiderit infra dictum tempus, tale hediffitum funditus destruatur incontinenti. Et quod potestas et capitaneus qui pro tempore fuerint, teneantur predicta executioni mandare infra decem dies postquam aliquis eorum exinde fuerint requisitus, sub pena librarum ducentarum. Et intelligatur talis vendictio fictitie fatta esse si probetur per publicum famam saltem per quatuor testes.

Item quod terrenum quod ponetur in dictis terris et in fossis et infra fossos dictarum terrarum ematur de pecunia Comunis Florentie et pro eo pretio et pretiis que videbuntur offitrialibus antedictis.

Item quod in dictis terris fiant vie et platee et ecclesie prout ipsis officiis videbitur. Item quod possint domini priores artium et vexillifer iustitie presentes et futuri eligere officiales superstites ad predicta et infrascripta facienda et procuranda, quos et quot et quotiens et eos removere et alios substituere et cum eo salario et prout eisdem videbitur convenire. Item quod possint facere ipsi officiales construi in qualibet dictarum terrarum, portas et pontes circa castrum et super foveas, prout eis videbitur. Item quod possint et debeant habere dicti officiales salarium et tenere de militibus et equitatoribus Comunis Florentie ad custodiam ipsorum et contratarum, si expedierit, in ea quantitate prout et sicut videbitur dominis prioribus artium et vexillifero iustitie pro tempore existentibus. Item quod possint habere ipsi officiales a Comunibus a quibus voluerint et videbitur dominis prioribus artium et vexillifero iustitie, pedites de contrata, cum armis, quos et quot voluerint ad custodiam dictorum locorum. Duntamen nullam pecuniam extorqueant vel recipient ab aliqua comunitate vel singulari persona. Item quod nullus de magnatibus vel de dictis tribus domibus de Mucello possit esse officialis vel in officialel eligi ad predicta vel aliquod predictorum, et si eligeretur talis electio sit inanis, et si tale officium accepteraverit puniatur per dominum potestatem in libris quinquaginta florenorum parvorum et ab ipso officio infra tres dies removeatur.

[The *provvisione* continues with remarks concerning the siege, not yet begun, of the Ubaldini castle of Monte Accianico.] Item provisum et ordinatum est quod nullus audeat vel presummat esse et stare in castro Montis Accianicchi maxime postquam insignia Comunis Florentie felicis exercitus florentini fuerint et iverint terram Burgi Sancti Laurentii per tres dies sub pena eris et persone et ipsius patris avi et filiorum omnium descendantium. [The *potesta* and the *capitano* shall be the judges of guilt in this matter and everyone they condemn shall be considered a rebel against Florence. Anyone who stays at Monte Accianico beyond the three day terminus and is later brought to the Florentine camp] suspendatur per gulam prope Monte Accianichum [and anyone who makes a treaty with the Ubaldini will be punished] sub pena averis et persone. [The *potestà* and *capitano* are to be in charge of questioning such people and are to get at the truth] cum tormentis et qualibet alia via. [Reconciliation with the Ubaldini was anathema; the mere suggestion of it was punishable by decapitation. Enemy “soldiers” were treated as prizes; the city put up a bounty for them: fifty lire alive, twenty-five dead.]

// fol. 207v // Item pro bono publico et defensione populi et Comunis Florentie et singulorum civium et districtualium ipsius. Et ut singoli tam metu penarum quam premiorum et protectionis exortatione invitentur ad defensionem eiusdem ut sic nostra res publica circuncincta muro inexpugnabili defensorum, facilius resistatur insurgentibus ex adverso, et eorum superbia deprimatur, provisum ordinatum et stabilitum fuit quod domini priores artium et vexillifer (iustitie) populi et Comunis Florentie presentes et futuri possint eisque liceat facere ac condere provvisiones et ordinamenta, que et quot, quando quoniam et qualiter et

quotiens voluerint eis placuerit contra rebelles et inimicos Comunis Florentie et tenentes et eos qui hactenus castra in rebellione Comunis prefati vel in eis stantes vel reparantes et qui hactenus steterunt et reparaverunt et contra turbantes et subvertere nitentes statum pacificum et tranquillum civitatis eiusdem.

Item quod ipsi possint eisque liceat providere stantiare et firmare super terris reponendis, faciendis et construendis de novo et reponi et construi faciendis in quocumque loco comitatus et districtus Florentie quecumque voluerint eisque placuerit, pro defensione et conservatione pacifici et tranquilli status civitatis Florentie et jurisdictionis et territorii eiusdem, et circa ea et eorum occasione et in favorem redeuntium ad habitandum et hedificandum in eis. Et quidquid ficerint in predictis et circa predicta et eorum occasione et pro eorum executione, sint et intelligantur facta pro honore et utilitate Comunis et populi Florentie.

**Document 4** ASF, *Diplomatico Generale*, 18 July 1306. Patent of authority to the official in charge of the foundation of Scarperia.

. . . prefati domini priores Artium et Vexillifer vigore eorum officii et ex balia, licentia et auctoritate, potestate eis adtributis, datis et concessis per solemnia et opportuna consilia populi et Comunis Florentie, prout de ipsis publice scriptum est per ser Bonsignorem Guezzi, notarium reformationum dictorum consiliorum . . . providerunt . . . quod comunantia sive universitas, que de nove construi debet . . . in partibus Mucelli per dominum Matteum Judicem Magistri de Egimo [?] officiale et capitaneum ad hoc pro Comuni Florentie spacialiter deputatum, sint et fiat in loco dicto La Scarperia, et quod in ipsa comunantia mictantur infrascripta pleberia sive comunia vel populi, et quod ipsa comunantia sive terra sit amplitudinis et longitudinis prout idem dominus Matheus providerit et ordinaverit, et vocetur ab inde in antea castrum Sancti Bernabe ad sui laudem et reverentiam. Et quot sit licitum dicto domino Matteo fieri facere in dicta terra putea, fontes, vias, stratas, et dirizzare et splanare quocumque et qualitercumque agnoverit et deliberaverit fore decens et ad sui liberam voluntatem, et predicta fieri et ad secutioni mandari debeant ad voluntatem et mandatum dicti domini Mattei per hominibus vicariatus Mucelli et appenditiis ipsius et per alios homines vicariatum et popolorum qui sint de Mucello sicut ydem dominus Matteus agnoverit et viderit expedire, cui predicti domini priores et Vexillifer in predictis et circa predicta vices eorum totaliter commiserunt.

Comunia sunt haec:

Comune de Sancto Johanne Maiori cum popolo Sancte Maria de Castello

Comune et populus Sancti Michelis de Figliano

Comune de Luco

Comune et populus Sancti Stefani de Grezzano  
 Comune de Prata et Covignani cum popolo de Miralbello  
 Comune et populus Sancti Johanis de Senne  
 Comune et populus Sancti Bartoli de Petrone  
 Comune de Trisanti cum populo de Fagna  
 Comune de Castagniuolo  
 Comune et populus Sancte Crucis de Ubaldinis  
 Populus Sancti Clementis de Signano  
 Populus Sancti Simonis dela Roccha  
 Populus Sancti Michelis de Ferrone  
 Populus Sancti Donati de Monte cercho [?]  
 Populus Sancti Martini de Lacho  
 Populus Sancti Andree de Cirliano  
 Comune de Manfriano  
 Comune de Monte Accianico  
 Comune et populus Sancte Agathe  
 Populus Sancti Gavini in Connocio  
 Comune et populus de Villa Nova  
 Populus Sancti Laurentii de Montepoli  
 Populus Sancti Benedicti de Mezalla  
 Populus Sancte Maria de Mercoiano  
 Populus Sancti Michelis de Lomena  
 Comune de Guinizzingo

**Document 5** ASF, *Archivio Diplomatico*, Compagnia di Santa Maria di Scarperia, 17 January 1307 / 8, 30 January 1307 / 8. The Florentine official in Scarperia reassgns a house lot.

Certum est quod Bernardus de Bordonibus, honorabilis et generalis capitaneus castri S. Barnabe de Mucello pro Comuni Florentie deputatus, ex vigore sui officii privavit Turam quondam Viviani de S. Cruce, ut paret in actis curie dicti Capitanei per sententiam per eum latam, de quodam casolari posito in dicto castro, in via S. Barnabe, et est longitudinis decem et octo brachiorum et amplitudinis duodecim brachiorum, tenor cuius talis est. Tura Viviani de S. Cruce, contra quem procedimus per inquisitionem nostri officii in eo et super eo quod preceptum fuit eidem per nuntium nostrum, de nostro mandato, quod certo termino iam ellapso deberet coram nobis personaliter comparere ad tractandum et ordinandum et conferendum nobiscum de refectio[n]e et constructione eius domus super casolari vel terreno eidem dato et assignato in dicta terra S. Barnabe. Qui vel aliquis pro eo [non]

convenit et non comparuit, et dictum preceptum sprevit, ut in actis nostre curie plenius continetur. Et ideo ipsum, habito pro confesso propter suam contumaciam et inobedientiam, a dicto eius casolari et terreno ei dato et assignato in dicta terra, et omni sui iure et causa et iurisdictione et parte vel sorte, quod et quam habet vel ad eum spectat quocunque titulo vel modo vel iure in dicto casolari vel terreno, et omnibus hedifficiis vel lignis super dicto casolari vel terreno positis, privamus et cassamus, et ipsum in solidis viginti florenorum parvorum, dandis et solvendis camerario dicte terre, recipienti vice et nomine dicti Comunis, in hiis scriptis sententialiter condemnamus. Salvo quod si ipse comparuerit coram nobis ad obediendum et fatiendum predicta, et domum fatiendum et complendum super dicto casolari hinc ad quinque dies proxime venturos, non teneatur ad predictam condempnationem. Item salvo et reservato quod dictus dominus Capitaneus possit facere quidquid sibi placuerit. Lata, publicata et pronuntiata fuit dicta condempnatio et sententia condempnationis per dictum Bernardum capitaneum et officiale eo pro tribunali sedentem in domo ubi habitat dictum Capitaneum, presentibus testibus ser Ugolino de Grezzano, notario, Iohanne de Villa et Landuccio Bonaiuti nuntium, in millesimo trecentesimo Septimo, indictione sexta, die XVII mensis Ianuarii.

Quare hodie, sub eodem millesimo et indictione, et die penultima dicti mensis Ianuarii, dictus Bernardus de Bordonibus, Capitaneus generalis dicti castri ad dandum et concedendum casolaria hominibus et personis venientibus ad standum et habitandum in dicto castro, prout in statuiss et ordinamentis dominorum priorum artium et Vexilliferi iusticie civitatis Florentie plenius continetur, iure proprio et in perpetuum dedit, tradidit et concessit Cionino quandam Iannis de Grecci de Manfriano, recipienti pro se et suis heredibus aut cui ius suum im posterum concedere voluerit, unum casolare positum in dicto castro, in via S. Barnabe, cui a primo dicta via a II Vannetti Ciaballie, a III Benini magisti Iacobi, a IIII terrenum Comunis. Qui Cioninus promisit mihi notario, stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini Capitanei pro Comuni Florentie dictum casolare incasare et in ipso domum construere et coperiere de tegulis, et dictum casolare et domum retinere pro Comuni et populo Florentie et dominis prioribus et Vexillifero iusticie prefatis et ad eorum et cuiuslibet eorum mandatum, obedientiam et voluntatem . Et promisit etiam dictum casolare et domum non vendere et non alienare nec concedere alicui persone nobili seu magnati seu de progenie magnatum, nec alicui persone ecclesiastice seu alicui ecclesie, sub pena et ad penam librarum centum florenorum parvorum semper Comuni Florentie applicanda si contra fecerit in aliquo predictorum. Et promisit etiam dictum casolare incasare et habitare cum sua famili[a], et domum construere et perficere hinc ad Kallendas Marti proxime Venturi, sub pena et ad penam librarum decem florenorum parvorum sollempni stipulatione promissa si contra fecerit in aliquo

predictorum. Et prefatus dominus Capitaneus, nomine dicti Comunis Florentie, promisit dicto Cionino, recipienti et stipulanti nomine quo supra, ipsum casolare et domum contra omnes personas defendere et garantire, sub obligatione bonorum dicti Comunis Florentie et sub pena dupli extimationis dicte domus et casolaris, que pro tempore plus valuerit. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis, precibus et mandato dicti Cionini, Gherarduccius frater suus, filius quondam dicti Iannis, in omnibus et singulis supradictis extitit in solidum fideus-sor, Et renuntiavit beneficio de fideussoribus, et se ut principalis in omnibus et singulis in solidum obligavit. Qui Cioninus sponte et suo plano animo iuravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia manualiter tacta scripture, se esse de eo velle quod nunc est populus florentinus, et semper diligere bonum et tranquillum statum Comunis et populi Florentie et hominum et universitatis castri predicti.

Actum in dicto castro S. Barnabe, presentibus testibus ser Francisco notario quondam Guidonis de Sala, Naddo quondam Iohannis de Querceto, et Nuto quondam Bencivieni de Lavorniano.

Ego Franciscus olim Iohannis de Mutina, notarius et nunc [scriba] predicti domini Capitanei, predictis omnibus interfui et rogatus scripsi et publicavi.

**Document 6** ASF, *Archivio Diplomatico*, Monastero di Luco, 21 April 1308. The town council of Scarperia assigns a garden plot outside the north gate to one of the settlers.

In Dei nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo octavo, die vigesimo primo mensis Aprelis, inductione sexta. Requisitis consiliariis communis castri S. Barnabe de Mucello per nuntium spetialem dicti Comunis et in cassero dicti castri more solito congregati, quorum nomina inferius denotantur, videlicet Naddus de Querceto, Naddus Botii, Puccius de Filetto, ser Marsilius Gucci, Lippus Sostengi, ser Ceccus Cursi, Vanturius Guiducii, Cordinus Benincase et Cenne Aldebrandini, qui sunt due partes et ultra consiliarum dicti Comunis, plena concordia et utriusque consensu, nemine discordante, ex vigore bailie concesse consiliariis dicti Comunis et duabus partibus eorundem a Comuni et populo florentino (ut constat et plenius continetur in statutis provisione Comunis et populis florentini factis sub annis Domini millesimo trecentesimo septimo, transcriptis et exemplatis per ordinem ex constituto Comunis et populi florentini et domini Capitanei populi suprascripti per ser Iohannem notarium, filium quondam ser Lapi Bonamichi notarii), omni mode et iure quibus melius et validius potuerunt, iure proprio et in perpetuum dederunt, tradiderunt et concesserunt pro orto faciendo Iohanni quondam Becciardi de Rocca, terragini dicti castri, pro se et suis heredibus recipienti, unum stariorum terre ad rectam men-

suram corde Comunis Florentie, posite extra portam Bononiensem, de retro ortis qui sunt iuxta stratam publicam, mensuratum per Bacuccium de Rabatta mensuratorem, cui a primo via que est infra ortos antiquos et posteriores, a II Buti quondam Spillecti de Lago, a III via Vecchia, a IIII Baldi Berriandi de Rocca. Ad habendum, tenendum, possidendum et quicquid sibi et suis heredibus deinceps placuerit perpetuo faciendum, cum omnibus et singulis que infra predictos continentur confines vel alios si qui forent accessibus et egressibus suis usque in viam publicam, et cum omnibus et singulis que habent super se vel infra seu intra se in integrum, omniue iure et actione, usu seu requisitione sibi ex ea vel pro ea re aut ipsi rei modo aliquo pertinente. Pro pretio dando et solvendo vero domino talis terreni a festo S. Michelis de mense Septembris proxime venturi ad unum annum proximum, videlicet librarum trium florenorum parvorum. Quam dationem et concessionem et omnia e singula in hoc contracta contenta predicti consiliarii modo et iure quo supra approbaverunt et ratificaverunt.

Actum in dicto cassero, presentibus Gherarduccio quondam Drudi, populi S. Martini de Bubiano, Guiduccio Casini de Tasso Vallis Arni, ser Bianco quondam domini Thomasii de Magreto, districtus Mutine, et Iacobo quondam Terii Zati de S. Petro ad Sevem, tesibus ad hec vocatis et rogatis.

Ego Franciscus quondam Guidonis, notarius de Sala, imperiali auctoritate iudex ordinarius et notariis, hiis omnibus interfui et rogatus scripsi et publicavi.

**Document 7** ASF, *Archivio Diplomatico*, Monastero di Luco, 25 April 1308. Florentine officials assign a house lot in Scarperia to a settler.

In Dei nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo octavo, die vigesimo quinto mensis aprelis, indictione sexta. Probus vir Barberius quondam Sinibaldi de Aretio, vicarius generalis nobilis et potentis viri Bernardi de Bordonibus, honorabilis Capitanei castri S. Barnabe de Mucello (ut constat de vicariatu predicto publico instrumento facto manu ser Francisci quondam Ioannis de Mutina, notarii dicti domini Capitanei), ex vigore dicti instrumenti vicariatus, vice et nomine dicti domini Capitanei, omni modo e iure quibus melius potuit, iure proprio [et] in perpetuum dedit, tradidit et concessit, vice et nomine Comunis Florentie, Mannellino quondam Mannuccii de Preta, pro se et suis heredibus et cui vel quibus ius suum in posterum concedere voluerit stipulanti et recipienti, unum casolare positum in dicto castro, in via S. Laurentii, cui a I dicta via, a II terrenum Comunis S. Barnabe, quod fuit olim Fasiani Privetti per Capitaneum dicti Castri, a III Tignosi de Ruosine, a IIII domine Rose de Senne, et est longitudinis sedecim brachiorum et amplitudinis duodecim brachiorum. Que

Mannellinus promisit stipulatione sollempni dicto domino vicario recipienti vice et nomine Comunis Florentie et pro ipsum Comune, ipsum casolare incasare et cooperire de tegulis et domum complere et in ea [redire] cum sua familia in dicta domo hinc ad calendas septembres proxime venturi, et ipsum casolare et domum non vendere nec alienare neque concedere alicui magnati seu alicui de progenie magnatum, nec alicui ecclesie seu alicui ecclesiastice persone, sed ipsum casolare et domum retinere pro Comune et populo florentino et dominis prioribus et vexillifero iusticie civitatis Florentie presentibus et futuris, et ad eorum et cuiuscunque eorum voluntatem, obdientiam et mandatum, sub pena librarum ducendarum bonorum denariorum florenorum parvorum sollempni stipulatione promissa, semper Comuni Florentie applicanda si contra fecerit in aliquo predictorum. Pro quibus omnibus et singulis observandis et firmis tenendis, precibus et mandatu dicti Mannellini, Forese quondam ser Lapi, notarius de Preta, in omnibus et singulis suprascriptis extitit fideiussor et renuntiavit beneficio de fideiussoribus et se, ut principalis, in solidum obligavit. Et prefatus dominus vicarius, nomine quo supra, promisit dicto Mannellino stipulanti et recipienti ut supra, ipsum casolare et domum contra omnes personas defendere et auctorizare et disstrigare, sub pena dupli extimationis dicti casolaris et domus, que pro tempore plus valuerit, stipulatione sollempni promissa, et obligare bona dicta Communis Florentie pro omnibus servandis, ut dictum est.

Qui Mannellinus sponte et suo plano animo iuravit, corporaliter ad Sancta Dei Evangelia manu autem tactis scripturis, se esse de eo velle quod nunc est populus florentinus, et semper diligere bonum et pacificum et tranquillum statum Communis et populi florentini et dicti castri et hominum et universitatis castri predicti.

Et ego Francisus quondam Guidonis notarius de Sala, imperiali auctoritate iudex ordinarius et notarius, hiis omnibus interfui et de mandato dicti domini vicarii scripsi et publicavi.

**Document 8** ASF, *Archivio Diplomatico*, Compagnia di Santa Maria di Scarperia, 21 October 1368. Will of Bartolo di Piero, carpenter, in which he describes his house in Scarperia.

In Dei nomine amen. Anno Domini ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo ottavo, inductione septima, die vigesima prima mensi ottobris. Bartolus olim Pieri, faber de Scarperia comitatus Florentie, sanus per gratiam Yesu Christi mente sensu et intellectu licet corporis egritudine languens, suarum rerum et bonorum omnium dispositionem per presentem nu[n]cupativum [?] testamentum sine scriptis in hunc modum facere ordinavit et procuravit.

Imprimis quidem divotissime recommendavit animam suam Domino Yesu Christo creatori nostro et eius Matri Virginis Marie et omnibus sanctis curie celestis, et eis redidit animam suam quandocunque eum de hoc seculo migrari contingit.

Item elegit sui corporis sepulturam in ecclesia fratrum Heremitarum ordinis S. Agosti[n]ji loci S. Bernabe de Scarperia, et ibi iussit et voluit sepelliri.

Item reliquid et dari voluit per infrascriptos suos heredes dicte ecclesie S. Bernabe, pro anima sua salute, libras vigintiquinque florenorum parvorum.

Item pro anima sua salute et omnium de domo sua, reliquid domine Iohanne, uxori quondam Bertini Petruccini de Manfriano et filie quondam Iunte de Scarperia, unam madiam et unum paiuolum et unum paiuoluzum et unam sicula cum fune et unam capsam cum uno seramine et unum mantellum cilestrum menatum et unam quarnachiam cilestram menatam ad usum dorsi dicti testatoris et unum boticellum trium vegetarum.

Item reliquid eidem domine Iohanne moram et habitationem unius anni unius sue medietatis domus site in castro Scarperia, in quarterio S. Iohannis dicti castri, cuius medietatis talis dixit esse confines: a primo strata publica, a secundo heredum Ricucci Luccii, a tertio heredum Spigliati Bertini, et a quarto Iacopi Turini; et ab inde supra libere remanere voluit infrascripto heredi suo.

Item voluit disposuit et mandavit ac commisit et licentiam omnimodam dedit atque concessit dicte domine Iohanne quod ipsa det et distribuat et dare et distribuere possit, pro anima sua salute, omnia sua superlectilia et frumentum piis et miserabilibus personis, videlicet illis personis quibus magis utilius videbitur, pro anima sua et parentum suorum salute, sine ulla ratione redenda.

Item reliquid eidem domine medietatem porcis sui.

Item dixit et confessus fuit dictus testator quod ipse vendiderat Iacopo olim Turini de Scarperia medietatem domus sue versus domum dicti Iacopi pro pretio florenorum quadraginta auri, et quod de dictis quadraginta florenis auri iam habuerat ab eo et sibi dederat florenos viginti otto auri et libram unam et soldos decem florenorum parvorum. Quapropter volendo observare dictam venditionem, voluit et disposuit, imposuit, commisit et mandavit infrascripto heredi suo quod eidem Iacopo vendant et vendere teneantur et debeant dictam medietatem versus domum dicti Iacopi, dicto Iacopo statim cum dictus Iacopus dederit infrascripto heredi suo residuum dictorum quadraginta florenorum auri, cum promissione de legiptima rei evictione et defensione. Et eum inducant in tenutam et corporalem possessionem dicte medietatis domus, et de dicta venditione faciant et fieri faciant publicum instrumentum venditionis manu publici notarii confiendum, cum pactis obligationibus stipulationibus promissionibus chautelis obligationibus, penis et pene adiectionibus, renuptiationibus et omnibus aliis sole[m]nitatis usitatis et opportunis in talibus contractibus vallatis et vallandis.

Item reliquid eidem Iacopo unam capsam co[per]tatam cum duobus coperchis et unum boticellum capacitatis quatuor salmarum vini.

Item dixiti quod murus qui est inter eius domus et domum heredum quondam Ricuccii Luccii est pro medietate fundatus super suum terrenum, et alia medietas super terrenum dicti quondam Ricuccii, et quod est medius suus prout tenet tectus domus sue et quod ab inde supra est totus heredum dicti quondam Ricuccii.

Item dixit quod murus in quo et super quo sunt lignamina lodie sue, ex parte posteriori est filiorum Spigliati quondam Bertini et quod in eo nullum ius habuit nec habet, et ideo voluit et mandavit quod ad omnem requisitionem heredes dicti quondam Spigliati eleventur et extollantur de dicto muro dicta lignamina.

Item reliquid pro salute anime sue et suorum remissione pechatorum et aliorum de domo sua, hospitale S. Iacopi de prope Scarperia, medietatem unius sui orti versus terram heredum quondam Iacopi Baldi, positi in populo S. Michaelis de Feroni, cui toti orti a primo, secundo et tertio vie, et a quarto heredes dicti quondam Iacopi Baldi. Cum hac conditione quod non possit nec debeat vendi, alienari, permutari nec alicui ullo modo sive iure obligari nisi quando Capitanei et gubernatores societatis Virginis Marie de Scarperia sive hospitalarius dicti hospitalis fieri faceret apud dictum hospitale unum puteum et non aliter, et si contra feceret tunc in eo casu dictam medietatem orti reliquid infrascripte societati Virginis Marie de Scarperia.

Item reliquid hospitali S. Marie del Merchatale de propre Scarperia unum lectum cum trispidibus et assis, sacone, cultrice et duobus pimacis et duobus paris lintiaminum et uno copertorio pro hospitando pauperes pio amore Dei.

In omnibus autem aliis suis bonis mobilibus et immobilibus, iuribus et actionibus presentibus et futuris, sibi heredem universalem [in]stituit et esse voluit societatem sive fraternitatem Virginis Marie de Platea de Scarperia. Cassans et irritans omne aliud testamentum et omnem aliam ultimam voluntatem hinc retro per eum factam manu cuiuscunque notarii, non obstantibus aliquibus verbis derogatoriis in eo appositis. Et hanc suam asseruit esse velle ultimam voluntatem, quam valere voluit iure testamenti, et quod si iure testamenti non valeret, valere voluit iure codicillorum vel alterius cuiuscunque ultime voluntatis melius valere potest et tenere.

Actum in castro S. Bernabe de Scarperia de Mucello, comitatus Florentie, in domo habitationis dicti testatoris, sita in dicto castro, presentibus testibus Cionino olim Brunniuoli, Bragio olim Iacopi, Nicholaio olim Compangni, et Piero olim Boschuccii, omnibus de Scarperia, et Andrea olim Puccini et Iohanne filio dicti Andree, populi plebis S. Petri ad Sevem, et Poglino olim Chiaruccii Comunis Scarperia, et Betto olim Sostengni, populis S. Gavini ad Cornochium, ad hec vocatis et a dicto testatore rogatis.

Ego Phylippus olim ser Ugolini Benedicti de Scarperia, imperiali auctoritate

iudex ordinarius publicusque notarius, predicta omnia et singula coram me acta  
rogatus hic public scripsi et publicavi, ideoque me subscrpsi.

**Document 9** ASF, *Notarile Antecosimiano*, L35 (Lando Fortini), fols. 69v – 71v, 19 September 1364. The grant of parish rights inside the walls of Scarperia to the church of SS. Jacopo e Filippo by the vicar of the bishop of Florence.

[In margin: Comunis de la Scarperia pro ecclesia Sanctorum Jacobi et Filippi dicti loci.]

In Christi nomine amen. Pateat omnibus evidenter quod constituti personaliter coram infrascripto domino Simone de Paganis vicario infrascripto, Andreas quodam Lapi, Comunis de la Scarperia de Mucello, Florentine diocesis, sindicus et procurator universitatis et personarum castri predicti de la Scarperia, sindicario et procuratorio nomine dicte universitatis et personarum eiusdem, ac etiam venerabilis vir dominus Ventura, plebanus plebis Sancte Agathe de Mucello dicte diocesis, sindicus et procurator et sindicario et procuratorio nomine domini Benedicti plebani canonicorum et capituli plebis Sancte Marie de Fagna de Mucello dicte diocesis cum consensu etiam et volunta[te] et in presentia domino Rodulfi Bartoli Simonis, prioris Sancti Petri Scheradii, et Arduini, rectoris ecclesie Sancti Johannis Evangeliste florentini, canonicorum dicte plebis de Fagna, ibidem presentium et expresse dicto domino Venture, sindico et procuratore predicto, consentientium et eidem consensum et voluntatem prestantium in omnibus et singulis infrascriptis, de quorum Andree et domini Venture sindicatus et procuratio constant publicis instrumentis exinde confectis per Ser Mattheum Lippi de Scarperia notarium publicum, dicto domino Simoni vicario predicto exhibuerunt et tradiderunt atque fecerunt supplicationem, significationem et petitionem infrascripte continentie et tenoris, videlicet.

Significat dominationi vestre universitas castri Scarperia de Mucello, florentine diocesis, quod in dicto castro est quedam ecclesia sive oratorium sub vocabulo beatorum Jacobi et Filippi cum quadam domuncula per se, cui domuncule a primo latere via, a secundo et tertio dicte universitatis, et a quarto Laurentii Cacini. Que ecclesia sive oratorium fundata et hedificata est super fundo et solo dicte universitas ad hoc per ipsam universitatem dudum concesso et deputato // fol. 70r // Quod quidem oratorium sive ecclesia est subiecta et pertinens ad plebem Sancte Marie de Fagna dicte diocesis et in ipsis parrocchia seu plebatu constituta, ac per priorem et canonicos dicte plebis solita gubernari et officiari nec alium habet proprium rectorem nec etiam dotem vel redditus ad substantationem ipsis,

propter que et quia dictum castrum de Scarperia est magne custodie propter guerras et suspitiones partium vicinarum nitentium actenus invadere dictum castrum, ipsa plebes in eadem ecclesia seu oratorio ad celebrandum cotidie misarum solemnia et divina officia et personis dicte universitatis exhibendum ecclesiastica ut expedit sacramenta, non retinet continuum ut expedit sacerdotem, nec commoditatem habent die et nocte libere accedendi ad illam homines de dicta universitate, propter que universitas et persone de dicta universitate et castro Scarperia receperunt actenus et cotidie recipiunt in predictis officiis et sacramentis multipliciter detrimentum. Et quia etiam dicta ecclesia minatur ruinam ita et talis, quod nisi de presenti eidem de opportuno remedio provideatur, de facili destruetur, quod redundaret in maximum dampnum, dedecus et obrobrium universitatis predicte. Propter que dicta universitas et homines dicte universitatis ad eorum consolutionem quietem et animarum salutem deliberaverunt, in quantum de vestra voluntate et ordinatione procedat, dictam ecclesiam seu oratorium de eorum bonis reficere et sufficienter dotare, ita quod ibi sit et morari possit honorifice perpetuus rector, qui tempore presentationis ipsius sit sacerdos, cum ministro per ipsam universitatem, tamquam patronam ipsius ecclesie et oratorii, presentingando priori pro se et canonicis et capitulo dicte plebis qui nunc sunt et pro tempore fuerint, et per priorem ipsius plebis et capitulum de Fagna, suo nomine et vice et nomine dicti capituli dicte plebis instituendum ad presentationem huiusmodi. Cui priori et capitulo et plebi ipsa ecclesia et rector subsit quoad institutionem predictam dumtaxat, et quoad alios honores per alias ecclesias dicti plebatus debitos dicte plebi. Reservato etiam dicte plebi omni jure decime et quartisessii, quam decimam et quartisum dominus Benedictus prior dicte plebis vel alias prior ipsius plebis vel capitulum vel alias pro ipsa plebe recolligisset sive recepisset hactenus in dicto castro Scarperia. Quam decimam et quartisum in antea prior et canonici dicti plebis qui sunt et pro tempore fuerint, vel alias pro eis et plebe predicta, recolligere possint eodem modo et forma quibus hactenus consueti sunt, non obstantibus aliquibus supradictis vel infrascriptis. Et reservato batisimo hominum et personarum cuiuslibet condictionis dicti castri. Et etiam quarta funerarium eorum qua sepellirentur apud ecclesiam fratrum Heremitarum dicti castri et // fol. 70v // omni alio jure et actione dicte plebi competenti contra fratres, capitulum et conventum fratrum Heremitarum ipsius castri. Sitque deinceps dicta ecclesia parrocchialis et curata, et habeat pro sua parrocchia totum dictum castrum de Scarperia infra fossos seu muros aut stecchatos dicti castri, et personas degentes in illo et ipsarum personarum curam et regimen pleno jure. Et quod decendentium corpora eorundem non electa alibi sepultura per ipsos ante decessum, apud dictum ecclesiam possint et debeant sepelliri. Ita tamen quod rector qui pro tempore fuerit in dicta ecclesia Sanctorum Jacobi et Filippi teneatur et debeat dare priori et capitulo dicte plebis medietatem cere et omnium dopleriorum sive

torchiorum venientium cum funeribus, que sepellentur in dicta ecclesia remanentium sacerdoti eiusdem ecclesie. Et insuper ut dicta plebes conservetur indemnis, volunt et intendunt ipsa universitas dare et donare eidem plebi et in ausilium reparationis et reattationis dicte plebis et reliandi certa bona dicte plebis pignori obligata, florenos quadragintaquinque auri boni et puri et recti ponderis et conii florentini, qui perveniant ad manus alicuius de antiquioribus dicte plebis, convertendos in causam praedictam, vel alicuius mercatoris de dicto castro vel aliunde, de quo concordaverint predicti prior et canonici ut dictum est. Et insuper, in signum honoris et reverentie, teneatur et debeat rector qui pro tempore fuerit in dicta ecclesia sanctorum Jacobi et Filippi, in festo principali dicte plebis de Fagna, silicet in festo Assumptionis beate Marie Virginis gloriose de mense Agusti, offerre sive offerri facere cuilibet canonicorum dicte plebis qui nunc sunt et eorum successoribus sive alteri pro eis recipienti nomine census, dummodo non sint ultra sex canonici, unum cereum ponderis unius libre. Et priori qui nunc est vel pro tempore fuerit, teneatur et debeat ipse rector offerre sive offerri facere in ipsa die qui cantabitur missa, duos cereos accensos ponderis in totum librarum sex. Et si non esset prior illa die nichilominus teneatur offerre sive offerri facere ipsi plebi super altari dicte plebis vel procuratori suo, secundum quod superius continetur. Et insuper quod in festo principali dicte ecclesie, videlicet in festo beatorum Jacobi et Filippi, prior et capituli dicte plebis de Fagna qui nunc sunt et pro tempore fuerint, debeat esse et libere possint ibi presse // fol. 71r // in officio ordinando et prandio et cena et aliis and honorandum dictum festum spectantibus, a vespero vigilie usque ad vesperum festivitatis tamquam maiores ipsi festo Sanctorum Jacobi et Filippi, et de ipso festo disponere sicut maiores prefati festi, non obstante contradictione rectoris, ut dictum est. Et quod prior et capitulum dicte plebis, advertentes predicta veritate fulciri et cupientes quantum in eis est, ut dictis hominibus et universitati circa predicta sicut eis videtur jure consonum satisfiat, et quod hec cedunt in utilitatem et commodum et profectum plebis praedicte, super hiis invicem habuerunt colloquium et tractatum plures iteratum, et matura deliberatione habita super predictis inter se ad invicem, solempniter deliberaverunt predicta fieri et executioni mandari in quantum ad hoc accedat dominationis vestre legiptima auctoritas et consensus. Quare cum ad vos et vestrum officium spectat providere utilitatibus ecclesiarum pariter et subditorum, et ex predictis cultus divini numpminis amplietur, dictaque universitas et personae ipsius divinorum recipient incrementum et dicta plebes inlesa conservetur et augeatur, eidem dominationi supplicant reverenter quatenus ipsam ecclesiam seu oratorium cum dicta domuncula, que domuncula consuevit esse pro habitatione presbiteri qui ibi degebat pro divinis ofitiis celebrandis a dicta plebe, ex predictis causis utilibus et neccesariis eximatis et parrocchiale et principalem ecclesiam constituatis in castro et loco predicto propter utilitates, neccesitates et commoda suprascripta

consequenda, et vitanda incommoda de quibus supra fit mentio et que in evidenti apparent. Ipsique ecclesie dictum castrum, territorium et parrocchiam et personas ipsius assignetis et concedatis sub modis et formis prefatis perpetuo predictis omnibus permansuris. Et eisdem priori et capitulo sic, ut predicitur, eandem ecclesiam et domunculam concedendi et super predictis cum dicta universitate et sindico conveniendi iuxta formam petitionis predicte et tratatum per eos in vicem propterea habitorum, licentiam concedatis interponentes predictis et contractibus propterea celebrandis vestram et episcopalnis curie florentine auctoritatem nichilominus et decretum, cum omnibus non obstantibus clausulis opportunitis et in talibus consuetis, prout etiam manifeste appareat posse fieri de jure, iuxta sanctorum patrum decreta.

**Document 10** ASF, *Notarile Antecosimiana*, L292 (Lorenzo di Ser Tano di Luziano), fol. 31v, 18 April 1375. The enlargement of the privileges of the church of SS. Jacopo e Filippo in Scarperia.

[In margin: Comunis et ecclesie de Scarparie. Concessio baptismatis.]

In Christi nomine amen. Anno ab Incarnatione ipsius millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, indictione tertiadecima, die decima octava mensis aprilis. Actum in monasterio et loco monasterii et ecclesie Sancte Marie de Sancto Sepulcro prope Florentiam, presentibus testibus venerabili viro domino Nicholao priore ecclesie Sancti Andree de Maiano, Spoletane diocesis, infrascripti domini Episcopi vicario generali, et presbitero Francischῳ rectore ecclesie Sancti Miniatis de Quintole, Florentine diocesis, et aliis pluribus etc.

Appareat omnibus manifeste quod Reverendus in Christo pater et dominus, dominus Agnelus, Dei et apostolice Sedis gratia Episcopus florentinus, cieritis justis et rationabilibus causis motus et maxime infrascriptis, ad infrascriptam, utilem et necessariam ac rationabilem gratiam grandi etiam meditatione ac consilio prehabitatis, descendit modo infrascripto et per infrascripta verba, videlicet. Angelus, Dei et apostolice Sedis gratia Episcopus florentinus, ad ecternam rei memoriam, devotis subditis fidelibus nostris, nostrique episcopatus florentini hominibus et personis castri et fortilitie Sancti Bernabe, quod Scarperia vulgariter nupcupatur, plebatus Fagne florentien nostre diocesis, atque tibi presbitero Benedicto, rectori ecclesie Sanctorum Filippi et Iacopi de dicto loco, tuisque subcessoribus in perpetuum, pius pater et pastor, moleste gerens animarum inconmoda

subditorum, eo diligentius ipsarum necessitatibus atque cotidie imminentibus periculis providet opportune, quo graviora conspicit pericula imminere et percipit scandala suboriri, ut quantum fieri potest pericula evitentur et scandalis salubriter obvietur. Sane cum cordis diligentia, non sine mentis amaritudine percipientes, oretenus a Iohanne, presentialiter generali vicario nostro, quam enormia et inefabilia reperit apud plebem Sancte Marie de Fagna, dum visitaret ipsam, cum inibi visu vidit et a multis percepit quod nec per priorem dicte plebis nec per alium sacerdotem ministrabantur ecclesiastica sacramenta et maxime baptismum, januam aliorum. Et quod plures infantes utriusque sexus delati ad illam de castro predicto et de superioribus partibus, maxime versus Alpes per quattuor milliaria distantes a dicta plebe, per totam diem tenebantur ante quam sacerdos aliquis qui baptizzaret eosdem reperiri posset. Ea propter diligentius attendentes quanta possunt propter hec hominibus et personis in dicta terra et territorio ipsius degentibus, et aliis prelibatis circa sacri fontem baptismatis animarum et corporum pericula imminere et scandal resultare, cum ipsa terra sive castrum et oppidum sint magna custodia indigen[te]s, nocturnis precipue temporibus, et quandoque diurnis, et cuius porte clause sepe per totam diem minime aperiuntur, qua de causa tunc temporis ad dictam plebem de Fagna, que situata est extra ipsam terram per miliare, pro sacro fonte baptismatis nullus accedere potest nocturno tempore vel diurno, et guerrarum precipue ac etiam tempestatum inundationis temporibus. Cuius rei occasione multotiens parvolorum aliqui per mulierculas, aliqui vero in ecclesia fratrum heremitarum in dicto castro ne sine baptismo decederent baptizzati fuerunt. Et aliqui etiam sine baptismo perierunt et alii nonnulli propter periculum quod imminebat animarum et corporum scandalizati fuerunt. Hiis vero providere utiliter cupientes, pietate paterna et inmitantes ea que alias dicte ecclesie Sanctorum Filippi et Iacopi circa animarum curam et funera defunctorum et alia ad commoditatem fidelium dicti loci concessa per predecessores nostros et largita fuerunt, dignis et devotis etiam hominum et personarum dicti loci meritis inclinati, tibi presbitero Benedicto, nunc dicte ecclesie Sanctorum Filippi et Iacopi rectori, ac tuis subcessoribus canonice intrantibus ipsique ecclesie in perpetuum, non obstantibus constitutionibus quibuscumque, qua fungimur auctoritate concedimus ut omnes de dicto castro et terra de Scarparia et habitantes in dicto castro et in territorio Scarperia supra versus Alpes, videlicet quanto trahitur totum dictum castrum Scarparie ab intra et ab extra supra versus Alpes, et non ab inde infra versus plebem prefatam Sancte Marie de Fagne, de plebato de Fagna solumodo, libere licite et impune valeas baptizzare, tibique et tuis subcessoribus antedictis atque eidem ecclesie presentium auctoritate concedimus, ut fontes sacri baptismatis habeas in ecclesia antedicta eosque de cetero in ea possis erigere, et pro ipsis benedicendis secundum ordinem consuetum tem-

pore ab ecclesia constituto et pro pueris baptizzandis petere liceat et habere valeas crisma et oleum cathecuminorum in die cene Domini, sicut et alie ecclesie baptismales a nobis et subcessoribus nostris, ac etiam oleum infirmorum santum pro infirmis ungendis habent, et hactenus consueverunt habere dicta die. Et uti liceat eisdem fontibus pro hominibus et personis castri et territorij ipsius versus Alpes predictas die noctuque prout fuerit opportunum, absque aliqua requisitione plebani sive prioris et capituli dicte plebis de Fagna, et ipsorum contradictione aliquatenus non obstante. In quorum omnium testimonium et certitudinem pleniorum tibi, ut predictitur, presens privilegium duximus concedendum huius scripti tenore nostrique sigilli appensione munitum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre concessionis et gratie paginam perturbare, seu eidem ausu temerario contrahire. Si quis autem contrarium adtentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum eius Petri et Pauli ac nostram se noverit incursum. Cuntis vero predicta servantibus sit pax et securitas et spem habeant retributionis eterne.

**Document 11** Archivio generale degli Agostiniani, Rome, Li:4, *Relazione della Provincia Pisana*, fol. 246r, 4 April 1650. Report on the Convent of San Barnaba in Scarperia.

Il monasterio di S. Bernaba dell' Ordine degli Eremitani di S. Agostino situato nel castello di Scarperia, Diocese Fiorentina, fondato et erecto l'anno 1325 con consenso della Republica di Firenze e della Comunita di Scarperia, fu dato il Placet assegnando essa la grandezza della chiesa, Cemeterio, Orto, e Convento, E Fra Gregorio di Barolomeo di Firenze prese il possesso. Item la Chiesa sotto il titolo di S. Bernaba Apostolo.

Item il claustro quadro, nel claustro da basso vi è una Compagnia, o confraternita della Santissima Nunziata, delle tre stanze che servono per Camere e Celle, dall'altra parte della porta principale la Muraglia della Chiesa, in un andito La Cantina divisa in tre parti, reffectorio, Cucina, et di tucto cinto di Muro, Granaio, Dormitorio da una parte del quale stanno tre Camere, un andito con altre 4 camere. Dal Dormitorio s'entra su le loggie di sopra e vi e un stanzone che serve per granaio, due Camera a man sinistra e due a man destra, e due altre Camere con studiolo, et un'altra Camera.

This document names the first fathers of the convent. Five of them, including the father superior, were from Scarperia, one, the treasurer, was from Pistoia, one was from Prato.

**Document 12** ASF, Cap., 32, fols. 7or and v, 11 October 1329. Legislation for the foundation of a town on the Consuma pass between Pontassieve on the Arno and the Casentino.

Ordini della terra da Montalpruno

Vobis dominis prioribus Artium et Vexillifero Iustitie civitatis Florentie, reverenter exponitur quod a civitate Florentie usque in Castentinum nulla terra est, propter quod comitatus Florentie, maxime tempore guerre, est in magno periculo et potest per hostes Comunis Florentie faciliter, absque aliqua contrarietate, discurreti, et sepissime contingit robarias et capturas personarum in eorum comintatu fieri, et per stratum non itur secure. Et quod a domibus positis super dicta strata, loco dicto Borselli, usque ad finem dicti comitatus versus Casentinum, est distantia per quattor miliaria et ultra, inter quam distantiam est terrenum adeo bonum et fertile quod vix simile reperiatur in toto comitatu et districtu Florentia. Et quia fortititia non est aliqua, remanet quasi totum dictum terrenum incultum, et si construeretur aliqua terra intra dictum locum, maxime prope dictos confines, homines de contratis redirent ad habitandum in ea, et totum dictum terrenum laboraretur et acquireret Comune Florentie terrenum per spatium quatuor miliarum, quod quasi dici potest Comune Florentie non habere vel possidere ulla-tenus, et Casentinenses et alii circumstantes et Romandioli confluenter cum frumento, blado, forratico et bestiis tam domesticis quam silvestribus et aliis victualibus, et haberetur maior solito eorum copia in civitate Florentie, ac Aretini et Comites Guidones, ghibellini et rebelles Comunis Florentie, guerram facere non possent contra Comune predictum de partibus Casentini vel aliis circumstantiis. Quare vestre providentie supplicatur quod vobis placeat, una cum officio XII bonorum virorum, deliberare et per Consilia populi et Comunis Florentie stantiari et firmari facere quod de novo ordinetur et construatur una terra prope extremitates dicti comitatus, intra locum predictum, super strata predicta, in loco qui dicitur in Plano dell'Asentio, prope Montem al Prunum, qui est aptior et habilior quam aliquis alias intra dictum locum, tam ratione planitiei quam copie fontium qui sunt ibi vel in circumstantiis dicti loci super ipsa strata, et quia Casentinenses et alii circumstantes facilius et citius ad ipsum locum fluerent quam ad alim ubi construeretur terra predicta. Que terra ponatur et fiat in dicto loco, in Plano dell'Asentio vel circumstantiis eius, super dicta strata, secundum delibera-  
tionem que fuerit facta per officiales ad id deputatos per dominos priores Artium et Vexilliferum Iustitie presentes vel futuros. Que terra construatur et fiat hoc modo, videlicet. Scilicet quod plebatus Pomini, plebatus Glaceti, plebatus Castil-  
lionis, plebatus S. Cervasii de Pelago et plebatus Pitiane, et homines ipsorum plebatuum et cuiuslibet eorum, faciant et facere teneantur et cogantur fossas et steccata circa locum ubi dicta terra esse debuerit vel ordinatum fuerit eam esse, et

bertescas circa ipsa steccata. Et pro predictis steccatis et berteschis faciendis, possint accipere de lignaminibus que sunt ibi prope, quorum abundantia non est ibi parva. Et sit dicta terra in longitudine saltem sexcentorum bracchiorum, et amplitudine trecentorum bracchiorum. Et Comune Florentie ibi construat duas portas, unam versus Casentinum et aliam versus civitatem Florentie, de quo loco per ignem et fumum poterit responderis signis ignis et fumi que fierent super turrim palatii populi, more dominorum priorum et Vexilliferi Iustitie. In quibus et pro quibus portis et constructione eorum, de pecunia Comunis Florentie percepta seu percipienda ex defunctibus stipendiariis Comunis Florentine et castellanis et custodibus terrarum et castrorum ipsius Comunis, expendantur et convertantur usque in quantitatem quingentiarum librarum florenorum parvorum, que dentur et solvantur per camerarios Camere Comunis Florentie illi persone et personis, de qua et quibus deliberatum fuerit per dominos priores et Vexilliferum Iustitie presentes vel futuros.

Item quod quelibet persona de dictis plebatis vel aliunde, guelfa tamen, que not sit civis Florentie vel nobilis comitatus Florentie, que infra duos menses proxime construet vel construi faciet in dicta terra domus in qua habitet et stet continue cum sua familia, sit immunis per septem annos incipiendos ab ea die in antea, qua talis persona edificaverit vel edificari fecerit dictam in dicta terra et in ea redierit ad habitandum cum sua familia, ab omnibus libris, presantantiis, // fol. 7ov // impositis et gabellis, factionibus et quibuscumque aliis oneribus et servitiis Comunis Florentie, personalibus et realibus, que infra dictum tempus imponerentur, indicerentur vel fierent per Comune prefatum seu solvi deberent ipsi Comuni, salvo quod a gabella contractuum et instrumentorum, et [a] gabella portarum civitatis Florentie. Et quod extimum et libra, seu summa ipsius extimi et libre illius, videlicet que construxerit vel construi fecerit in dicta terra domum et in ea habitaverit cum sua familia, detrahatur et detrahi et cassari possit et debeat de extimo seu libra populi in quo fuerit allibrata, per notarium Camere ad cancellationum, condemnationum et bamnorum officium deputatum. Et quod contra dictam immunitatem nihil fieri vel deliberari possit vel debeat per Comune Florentie vel Consilia ipsius Comunis et populi, vel officiales eiusdem, vel aliiquid aliud per quod veniri possit in dimunitionem immunitatis predicte, et si contra fieret non valeat nec teneat nec ab aliquo debeat observari vel executioni mandari.

Item quod unaqueque persona que voluerit construere seu construi facere domum in dicta terra, possit habere de terreno quod situm fuerit intra fossas et steccata dicte terre pro ipsa domo edificanda, dando ei cuius fuerit terrenum, ad rationem duorum denariorum, eius videlicet quod ad presens valet unus denarius, et etiam possit haberede lignaminibus que sunt in circumstantiis dicte terre, necessariis constructioni dicte terre, pro simili pretio statuendo ut dictum est. Item quod in dicta terra vel extra ipsam terram iuxta eandem terram, possit et debeat

fieri mercatum saltem semel singulis septimanis, ea videlicet die que placuerit hominibus dicte terre, in quo vendatur frumentum, bladum, formaticum, bestie et alia victualia et mercantie, sine solutione gabelle Comuni Florentie facienda pro ipso mercato vel rebus que adducerentur vel venderentur in ipso mercato.

**Document 13** ASF *Cap.*, 32, fols. 271r and v, 9 April 1332. Legislation for the foundation of Firenzuola.

[In margin: *Consitutio terre nove de Fiorenzola*]

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo, inductione XV, die nono mensis Aprilis. Predicti Pierus, Philippus, Cennes, Benincasa, Giovencus et Bernardus officiales (=superfacto alpium), facta discussione in dictis partibus ultra alpes in pluribus et pluribus locis et diversis diebus, et cum sindicis, rectoribus et aliis hominibus et personis contratarum Santerni, Rivocornacchiarii, Bordignani, Rapezi et aliarum contratarum, et cum ipsis hominibus ratiocinio et etiam una cum Finuccino de Aretio et Lotto de Montecchio, constabilibus, stipendiariis Comunis Florentie, et habita plena et matura deliberatione inter se ipsos, et nullo discordante, et vigore eorum balie et auctoritatis eisdem a Comuni Florentie concesse, deliberaverunt, stantiaverunt, providerunt quod quedam terra nove ponatur et construatur et poni et construi debeat et edificetur pro iamdicho Comuni Florentie et ad ipsum Comune et populum Florentie expectantem. Et ad honorem, pacicum et bonum statum Comunis et populi Florentie et Partis Guelfe et sancte matris Ecclesie, in loco qui dicitur Piano dell'Arca. Que terra nominetur, vocetur et appelletur pro dicto Comuni Florentie et ad ipsum Comune pertinentem, terra sive castrum de Firenzuola, et que terra sit et esse debeat longitudinis bracchiorum vi[hundred]xxxiii, et amplitudinis bracchiorum iii[hundred]xlii, et plus et minus ad voluntatem dictorum officialium. Et in qua et per quam terram Fiorenzuole sit et esse debeat una via que vadat versus Florentiam et recte versus Bononiam. Et in capite ipsius vie versus Florentiam, sit et esse debeat una ianua, que ianua appelletur et nominetur ianua Florentina et in capite ipsius vie recte fiat una alia ianua versus Bononiam que ianua appelletur et vocetur ianua S. Iohannis, et que via sit mastra et vocetur via Florentina. Et etiam in ipsa terra, ex alia parte, mittatur et esse debeat alia via mastra, que vadat recte versus Santernum, et in capite ipsius vie, ex parte Santerni, ponatur et constuatur una ianua, que ianua vocetur ianua S. Petri. Et in alio capite versus Rivocornacchiaium, alia ianua que vocetur ianua S. Maria, et etiam ipsa via vocetur via S. Maria, et etiam ipsa via vocetur via S. Maria. Et ambe vie, ut dictum est, sint mastre et maternales. Et ad ipsam terram et castrum debeat pertinere infrascripta

Comunia et populi, et esse unum Comune per se tantum, et ad unum extimum et libram et distributionem extimi, et voceture Comune Fiorenzuole. Nomina quorum Comunium sunt hec, videlicet.

Comune et populus S. Petri de Santero  
 Comune et populus S. Nicholai de Casanuova  
 Populus S. Maria de Riferdo  
 Populus S. Iohannis de Rivocornacchiaio  
 Populus S. Martini de Castro et S. Iacobi  
 Populus S. Bartholomei de Vallibus  
 Populus S. Marie de Frena  
 Populus S. Nicolay de Pogialto

Omnis predicti populi et Comunia et homines et persones eorumdem debeant repondere ad ipsum Comune de Firenzuola et ad unum extimum et libram extimi tantum, et respondere Comuni Florentie ut // fol. 271v // alii comitatini ipsius civitatis Florentie. Et quod Comune dicatur, vocetur et nominetur Comuni et Castrum de Firenzuola comitatus Florentie et ad ipsum Comune expectante. Et quod dictum Comune terre nove de Fiorenziola habeat et habere et tenere debeat arma cum campo albo, intus cum medietate crucis et medio lilio simul coloris rubei per longitudinem et in longitudinem clipei sive scudi, ad honorem et statum Comunis et populi Florentie et Partis Guelfe.

**Document 14** ASF Cap., 35, fols. 231v, 232r and v, 24 May (1334). The Florentine officials at Firenzuola order settlers to build on their lots; they also make arrangements for the construction of public buildings.

[In margin: Quod habentes casolaria cogantur ad perficiendum.]

Die xxiii Maii

Predicti offitiales [=ad hedificandum casolaria in terra de Fiorenzuola], absente Coppo Borghesis eorum collega, vigore ipsorum offitii et balie eis concesse per dominos priores Artium et Vexilliferum Iustitie Comunis et populi Florentie et offitiales duodecim bonorum virorum, et omni modo via et iure quibus melius potuerunt, stantiaverunt ordinaverunt et firmaverunt quod omnes et singuli homine infrascripti quibus data fuerunt casolaria per Comune Florentie seu per ipsius offitiales in terra de Fiorenzuola, cogantur cives et aliis omnes hinc ad quindecim dies ad incipiendum hedificationem et constructionem domorum super infrascriptis casolaribus, et hinc ad medium mensem Augusti ad compleendum et completas ostendendum ipsas domos: Stantiantes ordinantes et firmantes

quod ab inde in antea, si quis ipsa casolaria non compleverit et domos non fecerit cum effectu super ipsis casolaribus, eisdem tollantur et dentur aliis, videlicet cui et quibus deliberatum fuerit per dictos officiales vel eorum successores.

// fol. 232r // Item stantiaverunt ordinaverunt et firmaverunt quod palatum Comunis et populi florentini, quod nunc per ipsum Comune Florentie in dicta terra de Fiorenzuola construitur et fit, habeat et habere debeat viam ex parte posteriori et versus Bernardum Ardinghelli, que sit amplitudinis [quactuor] brachiorum. Et quod dictus ordo ponatur in statuto communis de Fiorenzuola.

// fol. 232v [In margin: // Quod completo palatio pecunia deponatur pro ecclesia.]

Item stantiaverunt ordinaverunt et firmaverunt via et modo predictis, quod completo palatio Comunis et populi incepto per ipsum Comune et populum florentinum in terra Fiorenzuole, pecunia que post modum recepta fuerit et exacta occasione passetti, starii et stadere, mictatur et deponature pro constructione et perfectione ecclesie Sancti [blank] de Fiorenzuola usque ad integrum perfectionem ipsius ecclesie.

**Document 15** ASF *Cap.*, 35, fols. 223r and v, 25 August (1338). The Florentine officials at Firenzuola prohibit bridges across the main street of the town.

[In margin: Statutum pontium]

Die xxv mensis Augusti (1338)

Supradicti officiales (= super constructione et perfectione et bono statu terre de Fiorenzuola), exceptis dictis Iohanne et Philippozio eorum collegis, simul congregati in palatio priorum pro dicto eorum officio exercendo, unanimi concordia et voluntate, pro bono et pulcro statu dicte terre de Fiorenzuola et ut omnis scandali materia pretollatur, vigore eorum officii et autoritatis et balie, et omni modo quo melius potuerunt, providerunt, stantiaverunt et ordinaverunt quod de cetero in dicta terra de Fiorenzuola, in aliqua parte vie que recta linea vadit et trahit a ianua Florentina ad ianuam Bononiensem, vel in via que vadit et trahit recta linea a ianua Imolensi usque Santernum ad ianuam Cornaclariam, nulla persona cuiuscumque condictionis existat, audeat vel presummat hedificare, construere vel facere, per se vel alium, aliquem pontem ligneum sive lapideum aut laterum vel de aliqua re, sub // f. 223v // pena librarum centum florenorum parvorum pro qualibet persona contrafaciente et vice qualibet auferenda per capitaneum et rectorem dicte terre qui pro tempore fuerit de facto, et nichilominus removere teneatur et debeat etiam de fatto pontem predictum. Quod si capitaneus vel

rector, qui pro tempore fuerit, non fecerit, perdat de suo salario libras centum florenorum parvorem. Quas libras centum Camerarius Comunis Florenzuole que pro tempore fuerit, sibi retinere debeat de facto, et nichilominus sequens capitaneus vel rector predicta, modo et sub pena predictis, facere protinus teneatur.

**Document 16** ASF *Provvi.*, 28, fols. 152r and v, 2 April 1337. Legislation for the foundation of Terranuova.

Item infrascripta provisio, ut supra dictum est et infra dicetur, super infrascriptis edita et facta, cuius quidem provisionis tenor talis est. Audita et diligenter intellecta et examinata quadam expositione dominis prioribus Artium et Vexillifero Iustitie populi et Comunis Florentie supradictis, pro parte hominum et personarum infrascriptarum terrarum, castrorum, comunium et populorum et locorum, videlicet:

|                       |   |  |
|-----------------------|---|--|
| Comunis de Ganghereta | ] |  |
| Comunis de Terrano    |   |  |
| Comunis de Pozzo      |   |  |
| Comunis delle Cavi    |   |  |

|                    |                  |  |
|--------------------|------------------|--|
| Comunis de Pernina | plebatus Gropine |  |
| .....              |                  |  |

|                                  |   |  |
|----------------------------------|---|--|
| Comunis de Pietravelse           | ] |  |
| Comunis de Moncione              |   |  |
| Comunis de Barbischio            |   |  |
| Comunis de Veschia et Ville Bone |   |  |
| populi S. Nicholai de Forlle et  |   |  |
| populi S. Donato de Menzano      |   |  |

orrecta et facta, inter cetera continente quod nuper cum magno gaudio sperantes eorum libertatem recuperare, redierunt ad solitam obedientiam Comunis et populi civitatis Florentie, velut filius ad ubera pie matris, et hoc ut de cetero possint, ut desiderant, ipsi et eorum descendentes in libertate vivere nec non parere et respondere Comuni Florentie in factionibus et aliis honoribus realibus et personaliibus ipsius Comunis ut alii comitatini et districtuales civitatis eiusdem, et ut de cetero tenus non opprimantur et occupentur per tirannos vel alias iniustos dominos, sed ab eis et ab eorum iniustitia valeant se tueri. Et quod ea commode perfici per eosdem non possunt absque Comunis Florentie auxilio, domini priores Artium et Vexillifer Iustitie supradicti volentes eisdem Comunibus et populis de opportuno et salubri subsidio providere, habita prius super hiis cum officio duodecim bonorum virorum diligentि deliberatione et demum inter ipsos dominos

priores et Vexilliferum Iustitie et dictum officium duodecim bonorum virorum secundum formam statutarum, premisso facto et obtento partite et secreto scruplinio ad fabas nigras et albas, eorum officii auctoritate et vigore, et omni modo et iure quibus melius potuerunt, providerunt ordinaverunt et stantiaverunt quod ipsi domini priores Artium et Vexillifer Iustitie, una cum affitio duodecim bonorum virorum, possint eisque liceat eligere et deputare aliquos bonos viros populares, cives florentinos, quos et quot voluerint et pro eo tempore et termino quo voluerint, non tamen maiori unius anni, in officiales et pro officitalibus pro Comuni Florentie ad faciendum construi et de novo fieri unam vel duas terram et terras in partibus Vallis Arni a Castro S. Ciconie citra, in eo loco et locis dictarum partium, et in ea longitudine, amplitudine ac latitudine, et cum hiis portis, turribus, viis, fossis et muris quibus et prout et sicut expedire seu convenire videbitur et voluerint ipsi officiales eligendi ut dictum est, et maior pars eorum, predicta possint eisque liceat ordinare et deliberare de hominibus et personis que redire voluerint vel debuerint ad domos hedificandum et habitandum in ipsis terris. Ac etiam possint eisque liceat dare et concedere pro Comuni Florentie hiis qui hedificaverint domum et ad habitandum cum eorum famuliis redierint in ipsis terris vel altera eorum, immunitatem et privilegium de libris et a libris et factionibus, honeribus realibus et fructibus bonorum rebellum, exbannitorum et condempnatorum et cessantium, a libris et factionibus ipsius Comunis et gabella ipsius, et a solutione ipsarum, salvo quod a gabella portarum civitatis Florentie et a gabella contractuum et instrumentorum et a gabella vini quod venditur ad minutum in civitate, comitatu et districtu Florentie pro tempore et termino quo convenire congnoverint, non tamen maiori decem annorum, salvo quod non possint aliquam concedere inmunitatem alicui civi florentino vel nobili comitatus Florentie. Et quod extimus et libra sive summa extimi et libra illius scilicet persone que construxerit seu hedificaverit aut construi vel hedifacari fecerit // fol. 152v // in tali terra domum et in ea habitaverit cum sua familia, detrahatur et detrahi et cassari possit et debeat de extimo seu summa libre et extimi populi in quo fuerit alibratus, per notarium officialium predictorum. Et quod contra dictam inmunitatem nichil fieri vel provideri vel deliberari possit vel debeat per Consilia ipsius populi et Comunis seu officiales eiusdem populi vel Comunis, vel aliquid aliud per quod venire posset in diminutionem vel derogationem inmunitatis iamdicte. Et si contra fieret, non valeat nec teneat, neque ab aliquo debeat observari vel executioni mandari. Et quod nullus de magnatibus civitatis, comitatus vel districtus Florentie seu aliunde, moretur vel habitet in ipsis terris vel aliqua earum vel eorum territorio, seu in eis vel eorum territorio emat seu acquirat per se vel alium, aliquam domum vel terrenum seu possessionem; et si quas possessiones haberet huiusmodi magnas in tali terra seu eius territorio, teneatur et cogature eas vendere pro iusto pretio Comuni vel hominibus ipsius terre. Et quod nulla persona vendat

vel alienet aut aliquo titulo vel modo transferat aliquam domum, terram vel possessionem, que posita sit vel fuerit in ipsis terris vel aliqua earum vel alicuius earum territorio vel districtu alicui vel aliquem magnatem civitatis vel comitatus seu districtus Florentie vel aliunde, vel in aliquem alium pro ipso magnate vel ad preces seu in obsequium ipsius magnatis.

**Document 17** ASF Cap., 4, fols. 36v – 39v, 16 January 1349 / 1350. The Abbey of Agnano surrenders its possessions in the Val d'Ambra to Florence.

Cum dominus Basilius abbas monasterii Sancte Maria de Agnano, ordinis sancti Benedicti, Aretine diocesis, filius quondam Junte de Uglignano, Comunis Santi Geminiani, asserat dictum monasterium et ipsius monasterii possessiones et bona et fideles descriptos, iam sunt multa tempora invasa, usurpata et detenta fuisse a certis magnatibus et potentibus et maxime inimicis et rebellibus populi et Comunis Florentie dicte contrate de Ugnana propter que maxime ipse abbas non potuit vel potest pacifice habere, tenere seu possidere dictam abbatiam, possessiones et bona ipsius abatie eiusque fideles. Et considerans auxilio, bracchio et potentia Comunis Florentie ipsiusque Comunis Florentie gubernatione, regimine et potestate, ipsam abbatiam eiusque possessiones et bona libere habere, tenere et possidere, et ex eis fructus et redditus percipere et habere. . . . [the monastery, with its persons and possessions, submits itself to Florence with the following conditions:]

Imprimis quod dictus dominus abbas tradat dicto Comuni Florentie seu sindico dicti Comunis vel alio pro dicto Comuni Florentie recipienti, fortilitias dicte Abbatie in custodiam et accomandigiam, et ipsum Comune Florentie seu dictum sindicum vel alium pro dicto Comuni recipientem, inducat et immictat in tenutam et possessionem fortitarum ipsius abbatie ad custodiendum, protegendum et impediendum ne ab aliquo occupentur seu adprendantur.

Item quod pro dicta custodia, tuitione et defensione fienda, dictum Comune Florentie possit et ei liceat mictere et ponere in dictis fortilitiis abbatie predice, unum officiale cum quatuor famulis, quos dictus dominus abbas, capitulum et conventum et homines infrascripti promictere teneantur esse et stare in fortilitiis supradictis et ipsos manutenere et defendere iuxta posse in possessione et tenuta predicta. Quibus officiali et famulis satisfiat de ipsorum salario et mercede expensis dictorum fidelium et hominum castri de Cappannole et castri Castilionis Albertorum et plebis de Presciano et castri de MonteLuccii et castri de Cacciano et castri de Cornie. Quod salarium seu expense ordinarie taxari et inter predictos homines dictarum terrarum, locorum et castrorum distribui et per ipsos solvi eo

modo et forma, tempore, temporibus, prout sicut, quo modo et qualiter et in ea quantitate et summa quibus deliberatum, provisum, ordinatum seu stantiatum fuerit per dominos priores Artium et Vexilliferum Iustitie pro tempore existentes, seu cui vel quibus predicta fieri commis[er]it Et quod ultra dictos famulos teneatur dictus abbas, monasterium, capitolum et conventus et fideles predicti receptare quamcumque gentem armigeram dicti Comunis Florentie vel que destinaretur per dominos priores et Vexilliferum Iustitie seu per dictum officiale in dictis Abbatia et fortitiis antedictis. [ . . . . . ]

// fol. 38r // Item quod si contingit aliquo tempore dictum Comune Florentie assignare episcopatu Aretino fortitias, possessiones, castra, iurisdictiones et iura, que dictum Comune Florentie pro tempore teneret in dicta contrata Vallis Ambra episcopatus Aretii, quod in dicta assignatione debeat semper excipi abbazia predicta et eius possessiones et bona et fideles infrascripti et alii fideles abbaticae predice, qui sint semper et imperpetuum sub recommendatione et protectione predictis et prout superius continetur, seu restituatur dicto domino abbati seu successoribus et capitulo et conventui eiusdem pro tempore existentibus prout placuerit officio dominorum priorum Artium et Vexilliferi Iustitie qui pro tempore fuerint. . . .

Item quod dictum Comune Florentie teneatur et debeat dictum abbatem, monacos, fideles, abbatiam, fortitias et ipsorum bonorum defendere, protegere, custodire et salvare, ut alias districtuales ipsius Comunis.

[Other paragraphs of the treaty established these conditions: The *fedeles* of the monastery were to have a six-year tax immunity. During this time, however, they still had to pay the salaries of the officials sent to them by Florence, to pay the Florentine salt *gabelles*, and to bear arms with Florence to defend the Val d'Ambra. After the six years they were to be treated like the other residents of the Florentine *distretto*. The abbot was obligated to give a five-florin offering to the city of Florence each year on the feast of Saint John the Baptist. The revenue from the fines levied by the Florentine officials was to go toward paying the latter's salaries. The abbot also promised to have the treaty ratified by his subjects within fifteen days. The treaty was guaranteed by a ten-thousand-florin fine for the breaking of any of its conditions by either party.]

**Document 18** ASF *Provv.*, 37, fols. 82r and v, 25 January 1349 / 1350. The *Ufficiali delle Castella* are instructed to search for a site in the Val d'Ambra for the foundation of a town.

Domini priores Artium et Vexillifer Iustitie populi et Comunis Florentie, considerantes quod officium octo officialium deputatorum, simul cum officio dominorum

priorum artium et vexiliferi justitie populi et Comunis Florentie, ad providendum circa custodiam, fortificationem et conservationem terrarum, arcium, fortiliarum seu locorum comitatus seu districtus Florentie exiprat circa exitum mensis huius, et quod de aliis in locum seu successores eorum in dicto officio non fuit hactenus pro visum, et quod utile, immo expediens et necessarium est populi et Comuni Florentie quod novi officiales ad dictum officium elegantur. Habita deliberatione decenti super predictis et infrascriptis omnibus cum officio duodecim bonorum virorum dicti Comunis et demum inter ipsos omnes dominos priores et Vexilliferum et duodecim bonos viros in sufficienti numero congregatos in palatio populi Florentini, facto misso et obtento diligent et secreto scrutinio et partito ad fabas nigras et albas secundum formam statutorum, omni iure et modo quibus melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt et stantiaverunt quod domini priores Artium et Vexillifer predicti, una cum officio duodecim bonorum virorum dicti Comunis, possint eisque liceat semel et plures eligere octo cives populares et vere guelfos, homines providos et discretos, in officiales et pro officialibus Comunis et pro Comuni Florentie, ad officium supradictum quod vulgariter appellatur et appellari debet officium castrorum, pro tempore sex mensium proxime venturorum, incipiendorum die electionis. Qui sic electi et due partes eorum, aliis etiam absentibus et inquisitis // fol. 82v // vel non acceptantibus vel defuntis habeant et habere intelligantur omnen et totam illam baliam, officium, autoritatem et potestatem, una cum officio dominorum priorum Artium et Vexilliferi Iustitie populi et Comunis Florentie, in providendo, faciendo et mandando et execundo et fieri et exequi faciendo circa fortificationem, fulcimentum, custodiam, recircationem seu conservationem omnium et singularum terrarum, fortiliarum, castrorum, arcium et locorum comitatus seu districtus Florentie seu que per ipsum vel pro ipso Comuni Florentie tenentur vel custodiuntur vel tenebuntur seu custodientur et alia quelibet que pretextu, causa seu occasione predictorum vel alicuius eorum occurerent, quam et prout hactenus habuerunt dominus Paulus Vettori, Francischus Benini et alii sex eorum sotii seu college, officiales ad predicta hactenus deputati simul cum officio dominorum priorum Artium et Vexilliferi Justitie populi et Comunis Florentie, vigore electionis eorum seu quarumcumque provisionum vel reformationum dicti populi et Comunis. Et cum eisdem modis, formis ac tenoribus, que omnia intelligantur in provisione presenti singulariter repetita. Et spacialiter et nominativi possint, teneatur et debeant providere et ordinare de reponendo et reponi et fieri faciendo unam terram grossam in partibus Vallis Ambre Florentine seu terrarum noviter adquisitarum in partibus supradictis vel in vice comitatu vel in convicinis partibus, ubi, quomodo, quando et prout eis videbitur convenire. Et in predictis et pro predictis omnibus et singulis et quolibet ipsorum pretextu et pro ipsorum observantia et effectu possint ipsi et due partes eorum, ut dictum est, una cum officio dominorum priorum Artium et Vexillifer Iustitie populi et Comunis Florentie, semel et plures et quotiens, facere,

